



Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærerentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

15. S. Henricus Imperator

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

Festum S. Henrici, Imperato-
ris Castissimi, & Angelicæ Benedicti-
no - Bavaricæ Congregationis Pa-
troni gloriosissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

EN! rosam sine spina. Ecce! con-
jugem, Imperatorem, virum; sed
vide & angelum, quia Virginitatem se-
cum tulit ad tumulum! grande casti-
tis prodigium! Et hoc unde S. Henrico!
à Dei gratia, & custodia sensum, O
fili! quis non honoret & veneretur tan-
tum castimoniae speculum? Sequamur!
Oculos claudamus! Sensus contraha-
mus! Et moriemur ut Virgines. Au-
reola jam in cœlo nos expectat asser-
vata.

Instructio meritoria.

Vir castus Deo corpus suum exhibet
hostiam viventem. Ut offeramus &
nostrum, aut actum petamus à Patre
Spirituali sacri rigoris; aut alicuius mor-
tificationis in cibo. Virginitas timo-
rem, & ruborem amat; Odit verò ef-
fusionem, & laxitatem corporis. Re-
prima-

primamus, ne recalcitret. Recitentur
Lycaniæ de omnibus SS.

II.

Tutores sunt castarum animarum
Sancti Henricus, & Chunegunda.
O quām generosæ non vivebant hæ ani-
mæ! Possidebant mundum, & amore
Jesu concubabant pedibūs, contentissi-
mæ, quòd liceat illum fugere. Si nos
essemus in tanta substantia rerum, &
opum, Bone! Quid ageremus? Chri-
stum, & animam fortè sperneremus, &
his solis fortasse adhæreremus sensuali-
bus bonis! O quām viliter nostras tra-
stamus animas!

Instructio meritoria.

Sanguinis Jesu respiciamus pretium,
& ut semper animam castam, mundam,
& sanctam possideamus, ab actibus sæ-
culi nos separemus, ecclesiam, atque
altaria visitemus, & pro obtinendo con-
temptu sæculi *Officium minus* de ani-
mabus defunctorum persolvamus. De-
scendamus ad purgatorium, & haud
amabimus amplius mundum.

S 4

III.S.

III.

S• Henricus nihil sine precibus aggredit
solitus, Angelum Domini, sanctos
que Martyres Tutelares pro se pugna-
tes antè aciem admirabundus conspexit.
Oratio cœlum aperit, & Deum attri-
hit. O fili! Stamus in pugna: Et
quali! undique hostes! Pericula unde-
que! Et Dei non recordamur? Ani-
mum ponimus? Preces, & confiden-
tiam sponte derelinquimus? Siccine
sperandus Angelorum succursus?

Instructio meritoria.

Deploremus nostram ignaviam, &
quidquid hodie aggrediendum, fleis
genibūs, ut in honorem Domini Dei, &
multarum animarum salutem cedat,
priùs ardenti supplicatione invocemus
Divinam assistentiam per officium de
Spiritū Sancto. Hic spirat, ubi ama-
tur.

Solem-